



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CCXXV. Die Mönche im Kloster Karthaus nehmen die Domherren in Brandenburg in ihre Brüderschaft auf, i. J. 1341.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

bilibus viris, dominis preposito suisque successoribus ac capitulo dicte nostre ecclesie Brandenburgensi dominium, omnimodam proprietatem et hereditatem stagni retro Pritzerwe et aquarum ad dictum stagnum spectantium \*) ac ipsum stagnum et aquas nec non aquarum et Obule Pritzerwe ac ipsas aquas et Obulam a Bristerhavele \*\*) descendente usque ad gurgustum, quod dicitur Stechow, et ultra, ac in dictis aquis et Obula duarum lacunarum dictarum dy nedersten Lanken, cum magnis et parvis piscariis, cum piscatura dicta Alrep et cum omni et qualibet alia piscatura, quibus nominibus nuncupentur, cum tractibus quibuscunque, quocunque tempore ipsis seu aliis eorum nomine placet, cum superiori et inferiori iudiciis, advocatia, censibus, redditibus, meatibus, transitibus, insulis, paludibus, graminibus, usufructibus, utilitatibus, limitationibus et generaliter cum omni jure, libertate et pertinentiis suis singulis et univertis, perpetuis temporibus utendum, possidendum et habendum libere et quiete, itaque quod nullus alius aliquo genere piscationis possit nec debeat in dicto stagno, aquis et Obula piscare, nisi de consensu et voluntate expressa dictorum prepositi et capituli dicte nostre ecclesie Brandenburgensis, et sicut ad nos et predecessores nostros hucusque pertinebant, renunciantes pro nobis et successoribus nostris dictis dominio, proprietati, hereditati, stagno, aquis, Obule nec non omnibus et singulis premisis ac omni juri, actioni et impetitioni, quod et que nobis et successoribus nostris in premisis et quolibet premisorum competeat, competit et competere poterit aequaliter in futurum. In testimonium omnium et singulorum presentem litteram nostri sigilli munimine fecimus roborari. Actum et datum Sejeser, anno domini millesimo tricentesimo quadragesimo, presentibus in Christo dilectis Johanne pincerna de Neyndorp, fratre nostro, ac Gumberto de Wantefleve, domino in Aldenhufen, ac aliis pluribus fide dignis.

Nach einem Transsumt aus der Hst. von 1374 und vergl. mit der Copie im ältern Copiaro.

**CCXXV. Die Mönche im Kloster Karthaus nehmen die Domherren in Brandenburg in ihre Bruderschaft auf, i. J. 1341.**

Reverendis ac religiosis viris et dominis, domino preposito ac ceteris personis ecclesie Brandenburgensis prior Carthusie ceterique diffinitores capituli generalis salutem et orationum suffragium salutare. Exigente pie devotionis affectu, quem ad ordinem nostrum vos habere cognovimus, et caritatis operibus karissimo fratri nostro Ludolfo, monacho majoris domus Carthusie, per vos impensis, ad preces et requiritur eisdem fratris nostri vobis concedimus in vita pariter et in morte plenam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet omnium missarum, orationum, vigiliarum, jejuniorum, abstinentiarum, elemosinarum ac univertaliter omnium bonorum, que in perpetuum per nos ac posteros nostros deus in ordine nostro toto dignabitur operari, adjicientes ex gratia speciali, quod, quando obitus alienius vestrum nostro generali capitulo fuerit intimatus, pro vobis missas et alia salubria animarum suffragia per omnes domos nostri ordinis injungemus. In quorum testimonium sigillum domus Cartusie, quo capitulum uti consuevit, presentibus est appensum. Datum Cartusie, anno domini M.° CCC.° XLI.° sedente nostro capitulo generali.

Nach dem Originale.

\*) Im Copialbuche: pertinentium. — \*\*) Im Transsumt: Bryterhavele.